



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

64. An Bulla Clem. VIII. prohibens largitionem munerum locum sibi
vindecet, si Regularis, vel Monialis det eleemosinam? Ex quo alii casus
inferuntur, qui non includuntur in dicta Bulla Clem. VIII. Ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

quis non tenetur restituere acceptum à Monialibus, vel aliis Religiosis, quos apponit idem Pellizzarius ubi supra sic asserens: Addit Sanchez, quod si secularis daret aliquid Monacho non sibi retinendum, nec ad libitum consumendum, sed dandum feminae, cum qua ipse Monachus fornicaretur; si is de facto illud tradat feminae, haec non tenetur restituere, cum illud censeatur accepisse, non à Monacho, sed ab illo seculari. Monacho in ea datione se habente solum vt exccutore: nec appareat vllus titulus, ex quo illud Riccio debeat acquiri Monasterio. Quin etiam Cardinalis de Lugo disput. 3. de Inst. num. 142. dicit non esse improbabilem doctrinam, quam tradunt Bañez, Lopez, Rebellius, Salas, Sayrus, & Diana relati ab ipso Cardinali; nimirum quando Prælatus regularis dat subdito plenam, ac liberam facultatem expendendi aliquid pro suo libito, non intelligi limitare suam intentionem solum ad vsus licitos, ac pios; sed potius auferre, quantum est ex se, totum impedimentum, vt vsus ille non sit contra votum paupertatis ob defectum licentiae; atque aded recipientem ab ipso non teneri aliquid restituere. Et ratio est, quod sicut in aliis materiis licentia generaliter concessa non intelligitur limitari ad solos vsus, vel casus aliunde non turpes; sed iis etiam auferit malitiam, quam possent habere ex defectu talis licentiae; et si remaneat malitia, ac turpitudine ex alio capite, sic hoc ipso quod Prælatus vniuersaliter concedit licentiam expendendi pro libito; non est, cur praesumatur limitare licentiam ad vsus solum aliunde non illicitos, sed potius velle auferre impedimentum, quantum est ex parte sua, maxime cum Prælatus id praestare possit non solum valide (vt bene probat Cardinalis de Lugo, num. 137.) sed etiam licite; vt ostendit idem Cardinalis num. 139. Loquendo de licentia data in genere ad quemlibet vsum, non adtem in particulari, & determinate ad vsum illicitum. Haec Pellizzarius, & iterum ego; & quoad vltimum consentit etiam Marcus Vidal in Arca Theolog. Moral. titulo de Paupertate Religiosa, Inquisit. vnica, numero 22. & 23.

Sup. hoc in Ref. praxerita §. 1. inter medium, & finem, vers. El primero.

Sup. hoc in Ref. 23. §. Nota tertio, & in Ref. 55. §. 2. cum in 13. ff. de, & in Ref. 58. §. 1. & in tom. 6. tr. 7. Ref. 58. §. Sed ego, & seq. &c.

RESOL. LXIV.

An Bulla Clem. VIII. prohibens largitionem munerum locum sibi vindicet, si regularis, vel Monialis det eleemosinam?
Ex quo alij casus inferuntur, qui non includuntur in dicta Bulla Clem. VIII. Ex part. 1. tract. 6. Ref. 11.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 7. Ref. 33.

§. 1. Respondeo negatiue cum Riccio in praxi, tom. 2. resol. 25. & Sousa in explicat. huius Bullae §. 7. num. 91. & quia Codex rarus est, ponam eius verba: Esta ley trata solamente de donaciones graciosas: y el dar limosna, no es propriamente donacion graciosa, y assi el hazerla los Religiosos se ha de condenar, o aprobar conforme, al derecho comun. Et in §. 1. num. 64. ponit Doctor iste aliqua verba conducentia ad hunc casum, & multos alios decidendos: & sunt ista: Nota, que el titulo desta Constitucion, es de solas donaciones graciosas, y solo el absuelue infinitas dudas, que algunos han preguntado, y en especial Religiosas, assi como, si des veda esta ley el hazer algunas fiestas, que tienen deuocion, y gastar en traer musica, o con el Predicador, o en sustentar a las que las visitan, y gobiernan, o en hazer otros ministerios, en utilidad del Conuenio en comun, o de alguna Religiosa en particular, de lo qual no trata esta ley, porque todas estas cosas, y otras como ellas, no se comprehenden de baxo del

nombre de donacion, sino de satisfacion. Haec ille, quae sunt admodum notanda; quia multum praedictabilia: & nos de hac quaestione supra etiam diximus.

RESOL. LXV.

An Religiosi tempore mortis cum licentia Superiorum possint aliquid donare?
Et ex doctrina huius resolutionis inferitur, an possit Prælatus dare licentiam Monacho scribenda scheda, qua disponat, quid de his bonis faciendum sit post mortem, eo animo, vt vim habeat testamenti, aut codicilli ea dispositio?
Et notatur, quod potest aliquid relinquere Monacho cum facultate tempore mortis disponendi de eo inter consanguineos, non per testamentum aliquod solemne, sed per eleemosinam personarum. Ex p. 1. tr. 3. Ref. 128.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Grassius de Aecis, part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 58. Nauarr. Rodriquez, Praepositus, & alij, quos citat Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 8. num. 10. quia talis donatio esset vltimae voluntatis species, & qui non potest de iure testari, neque potest donare causa mortis.

2. Sed contrariam sententiam docet Suarez ubi supra num. 11. & post illum Layman. lib. 3. ff. 5. cap. 3. num. 4. vnde filiusfamilias, qui ne patre quidem consentiente testamentum facere potest, tamen mortis causa donare cum patris consensu permittitur. Item is ff. de mortis causa donationibus, siquidem testamentum plus iuris ac legitimae facultatis possidet, donatio vero mortis causa ad naturam dispositionis inter viuos plurimum accedit.

3. Et ideo ex his inferitur non esse integrum Prælatis dare licentiam Monacho scribenda scheda, qua disponat, quid de suis bonis faciendum sit post mortem eo animo, vt vim habeat testamenti, aut codicilli ea dispositio, secus quando non eo animo, sed solum rogat Prælatum, vt sic disponat pro sua libera voluntate. Cum enim liberum maneat Superiori sic disponere, & quod postea fecerit, vim non habeat ex defectu dispositione, non est testamentum, nec codicillus quare id licitum est etiam Fratribus Minoribus. Addit tamen Nauarr. Grassius & Rodriquez, id non esse integrum, si ea scheda vim habeat donationis causa mortis, sed dicti ad Clericos loquuntur consequenter ad sententiam quam supra diximus eos docere, at, tenendo nostram, liceret donare causa mortis ex ea licentia, ex qua potest familiar Religiosus donare inter viuos.

4. Notandum est tamen hic obiter, quod potest aliquid relinquere Monacho cum facultate tempore mortis disponendi de eo inter consanguineos, non per testamentum aliquod solemne, sed per electionem personarum, ad quas debeat pertinere, quod ita licitum fuerit, atque ita non disponet tanquam testator, sed tanquam personarum elector. Et ita docet Filliucius, Pacianus consil. 36. numer. 103. vsque ad numer. 108. cum Sanchez loco citato numer. 8.

RESOL. LXVI.

An Religiosus peccet mortaliter contra votum paupertatis, si recipiat pecuniam secularium in depositum absque Superioris licentia?
Et aduertitur, quod si Religiosus moriatur propriarius, priuatur Ecclesiastica sepultura.
Et quaeritur, an si Religiosus, (admodum non sit Mon-